

quantitas, aut quid corporeum, oportet quod sit qualitas.

LVI. Nec obstat, quod entitative dicatur supernaturalis, non enim dicitur aliquid entitative supernaturale, quia non sit entitative quid creatum, sed quia in se ipso, et entitative est participatio Dei univoca et supernaturalis, et non solum in modo, quo producit, superat totam naturam creatam, sed etiam in eo quod est, quia in se est participatio supernaturalis Dei. Verbi gratia visus cæco restitutus, aut resuscitatio mortui, sunt quid supernaturale ex modo, quo producantur, quia superant omnem vim creatam, non tamen entitative, et in se aliquid supernaturale sunt.

LVII. Gratia autem aut fides aut character, non solum sunt quid supernaturale, quia productio eorum superat totam vim naturæ, sed quia in seipsis entitative superant omnem naturam, quia in se sunt participationes univocæ et superaaturles Dei. Igitur licet in hac participatione Dei res supernaturales analogice se habeant ad res naturales, tamen in entitate non analogantur, sicut conceptus lapidis et albedo in participatione substantiæ analogantur, quia una participat secundum similitudinem expressam et intentionalem ipsum lapidem, albedo vero non; in entitate autem non analogantur, sed sunt entia ejusdem prædicamenti, scilicet qualitatis. Et sicut propriæ passionibus reducuntur ad essentiam, cujus passionibus sunt, secundum quod ad illa dimanant, et tamen secundum se in propriis generibus collocantur, distinctis ad essentia cujus sunt passionibus, sic gratia secundum quod respicit Deum ut proprium principium, non pertinet ad aliquid prædicamentum; secundum se autem aliquid creatum est, et in prædicamento ponitur.

LVIII. Et horum ratio est, quia

bene potest compati formalis et univoca Dei participatio cum entitate non univoca, nec formaliter cum Deo conveniente, si quidem formalis illa et univoca participatio solum est accidentalis, et ad perficiendum creaturam intrinsece ordinata, non substantialis et in se subsistens; ideo enim repugnat dari substantiam supernaturalem creatam, non tamen accidens, quia si esset substantia formaliter et univoce participans Deum, esset ipse Deus, si quidem esset substantia ordinis divini; sicut si imago Cæsaris esset substantia, et non sola figura, utique esset ipse Cæsar; et ideo Verbum divinum quia est figura substantiæ Dei (id est, substantialis figura et imago) est consubstantialis ipsi Deo.

LIX. Manifestum est ergo, quod sicut non repugnat dari univocam participationem imaginis ad prototypum, non in entitate, sed in expressione et formali participatione; sic non repugnat dari univocam participationem Dei, non in entitate, sed in expressione, vel participatione ejus, sicut S. Thomas dicit 1-2, quæst. cx, art. ii ad secundum: « Quod gratia est nobilior quam essentia animæ, non in modo essendi, sed in quantum est expressio, vel participatio divini bonitatis. » Non intelligitur autem quod sit expressio per modum imaginis, vel intentionalis representationis, sed per modum elevationis ad consortium divini naturæ, juxta illud ii Petri i: *Ut per hæc efficiamini divini consortes naturæ*; et per modum cujusdam seminis divini, quo in filios Dei nos assimilant. Sic enim vocatur i Joan. iii: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quia semen ipsius in eo manet*. Igitur si expressio et participatio univoca Dei non entitative, sed participative et expressive non repugnat, manifestum est, quod secundum quod expressio et partici-

patio reducitur ad Deum, et non respicit substantiam aut prædicamentum, sed Deum solummodo, cujus est immediata et elevatissima participatio; in modo autem essendi est quid limitatum et creatum, sicque est in prædicamento tamquam accidens; sicut per exemplum de imagine facile videri potest.

LX. Ex hoc tamen ipso colligitur, gratiam non posse esse substantiam, quia si in eo quod est gratia est supra totam naturam, quia est immediata participatio Dei, in eo in quo Deus excedit totam naturam creatam et creabilem, manifestum est, quod si in hac ratione esset substantia, gratia esset substantia excedens omnem naturam creatam et creabilem, in eo in quo Deus excedit, et sic esset substantia divina, et ipse Deus; quæ est ratio S. Thomæ in proxime citato loco. Nunc autem solum participative, et in expressione habet rationem ordinis divini, non in entitate.

LXI. Ex quo patet ad probationem antecedentis argumenti, nam supernaturale et naturale majorem differentiam dicunt, quam duo prædicamenta; et ita probat argumentum, quod quantum ad supernaturalem participationem et expressionem, quam gratia importat, excedit omnia prædicamenta; entitative autem et materialiter accepta, ens creatum est, et ad prædicamentum spectat. Et ut verbis D. Thomæ citato loco dicamus: « Gratia in modo essendi non est nobilior anima, sed inferior: » et consequenter potest univoce cum prædicamento accidentali convenire; in expressione tamen aut participatione divini bonitatis, est longe superior, et excedit omne prædicamentum, sicut in exemplo de imagine ostendi potest. Aristoteles autem licet non agnovit determinate hæc entia supernaturalia, agnovit tamen modum essendi qua-

litatis, in quo ipsa entitative et materialiter conveniunt. Unumquodque autem ad prædicamentum pertinet secundum modum essendi, et secundum entitatem, quam habet; non secundum expressionem, vel participationem, quam importat, cum prædicamenta sint determinata entia quantum ad modum entis.

LXII. Quarto arguitur: Quia totum esse characteris est ad aliud: ergo est relatio. Consequentia patet, quia esse relationis est esse ad aliud. Antecedens probatur, nam totum esse characteris ordinatur ad tradendum vel recipiendum ab alio. Item totum esse characteris est esse signum configurativum et distinctivum; ratio autem signi, et ratio configurativi et distinctivi, est esse ad aliud: ergo.

LXIII. Confirmatur, nam saltem inter characterem et animam non debet poni distinctio, tamquam rei a re, cum non sint multiplicandæ entitates sine gravi fundamento. Et præterea, quia motio et virtus sacramentalis non distinguitur tamquam res a re a sacramento, sicut nec motus a mobili: ergo nec virtus characteris, cum sit etiam instrumentalis, distinguitur ab anima tamquam res a re; præsertim cum anima sit entitas spiritualis, cui facilius est quod identificetur character, quam quod motio sacramentalis sacramento corporeo.

LXIV. Respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod character non habet totum suum esse ad aliud, ut ad purum terminum relationis, sed tamquam ad causam, vel effectum, quod est non habere totum suum esse ad aliud, sed solum transcendentaliter illud respicere. Nam quod non respicit alterum ut purum terminum, non est purus respectus; et sic includit esse absolutum, quod tamen expli-

catur per ordinem ad aliud, et dependet ab alio, non ut a termino; sicut scientia et potentia explicantur per ordinem ad objecta, non tamen sunt puræ relationes, sed aliquid absolutum, quod in ordine ad aliud explicatur.

LXV. Ad id quod dicitur, characterem esse signum configurativum, etc. jam supra diximus, quod character est signum quasi accidentaliter, non essentialiter; est enim essentialiter potentia, seu principium operationis passivum aut activum; hoc tamen principio designatur aliquis in membrum Christi, aut ad speciales functiones religionis christianæ, sicut fumus est signum ignis, non tamen substantialiter est signum, sed accidentaliter: unde fumus non est sola relatio, et similiter est in imagine. Et sicut etiam id quo aliqua domus, aut lapis, aut pecus insignitur et characterizatur, non est relatio, sed aliquid absolutum, ex quo tamen originatur relatio signi, ita et character animæ est aliquid absolutum, fundans tamen relationem signi et configurativi, etc.

LXVI. Ad confirmationem respondetur, non multiplicari entitates sine causa, cum character se habeat ut principium operationum sacramentalium, quod oportet distingui realiter ab anima. Ad id quod dicitur de motione et virtute sacramentali, respondetur, quod motio et virtus sacramentalis non datur per modum principii, ut sit permanenter in sacramentis, sed per modum concursus actualis elevantis sacramentum, et producentis effectum, character autem datur per modum principii permanentis, et ita oportet quod sit res, et qualitas permanenter inhærens in anima, ut principium operationum sacramentalium.

LXVII. Quod vero subjectum cha-

racteris sit quid spirituale, et subjectum sacramentalis motionis aliquid corporale, non obstat, quia id quod datur per modum principii, non debet esse modus, et identificari cum subjecto, etiamsi spirituale sit, sed inhære illi; id autem quod datur per modum concursus elevantis et moventis ad effectum identificatur cum re mota et elevata, quia non se habet ut principium operans sed ut motus elevans ad effectum superiorem. Non repugnat autem motionem et elevationem spiritualem per modum concursus identificari cum re corporea, quia licet res corporea non possit per proprium principium, et ut causa principalis operari spiritualem effectum, tamen ex subjectione et subordinatione ad agens spirituale potest ipsi cooperari instrumentaliter in effectu spirituali, et suscipere motionem et elevationem ad talem effectum, et sic per modum transeuntis, et secundum quid identificatur talis motio cum re corporea, simpliciter autem cum effectu spirituali.

LXVIII. Dicimus ergo, quod subjectum spirituale est magis aptum, ut cum eo identificetur aliquid spirituale simpliciter, si tamen habeat se ut modus, non ut principium operationum. At vero cum re corporea potest res spiritualis secundum quid et transeunter identificari; idque facilius, si non per modum principii, sed per modum motionis et concursus actualis datur.

LXIX. Posset secundo dici, motionem sacramentalem esse aliquid reale, et non modum tantum; nec identificari cum sacramento, quia non est motus naturalis, de quo Aristoteles dicit quod identificatur cum mobili, nec se habet ut sola via et tendentia ad terminum, sed est motio supernaturalis, et veluti intentionaliter continens et participans

virtutem agentis principalis: ideoque plusquam modus debet esse.

#### DUBIUM SECUNDUM.

UTRUM CHARACTER SIT IN SPECIE POTENTIÆ?

*Conclusio est affirmativa.*

Videlicet in secunda specie qualitatis, scilicet potentiae, poni et reduci characterem.

LXX. Pro hujus conclusionis intelligentia notandum est, quod inter eos qui ponunt characterem esse qualitatem et formam absolutam, in primis convenit, quod cum sit forma spiritualis, non potest poni in specie qualitatis, quæ sequitur, aut per se pendet ab aliquo corporali; ut in quarta specie, quæ est forma aut figura consecuta ex terminatione quantitatis; nec in tertia, quæ consequitur ad actiones, quæ fiunt cum transmutatione et passione corporali.

LXXI. Est autem dissensio in duobus. Primum est, an character sit qualitas, quæ per se, et physice, et intrinsece ordinatur ad aliquos actus; an vero solum extrinsece et moraliter. Secundum est, an si ad illos ordinatur, ordinatur ut dispositio, vel habitus; an vero ut potentia. Qualitates enim, quæ ad actus ordinantur, solum his duobus modis possunt ordinari, videlicet ut potentia, aut ut habitus; nam qualitates, quæ sunt in tertia specie, potius se habent ut effectus, et ut quid causatum ex passionibus, quam ut causantes tales passiones, nisi quatenus ad dispositionem reducuntur, vel naturalem, vel intentionalem.

LXXII. Igitur Suarez tenet quod character non est qualitas ordinata per se, et intrinsece ad aliquam operationem, sed ad consignandum

et deputandum hominem ad aliquam actionem; et ita pertinere ad dispositionem, seu ad primam speciem qualitatis, non sumendo dispositionem ut distinguitur ab habitu per facile mobile (si quidem character est indelebilis) nec ut dicitur conveniens in ordine ad aliquam formam vel actum, ad quem disponit; sed ut dicitur forma quædam absoluta, habens esse fixum in anima, et convenienter se habens ad subjectum, licet non ad ulteriorem formam, vel actum; sicut gratia convenit subjecto, non autem ad ulteriorem formam disponit. At vero idem Suarez in metaphysicis disp. i, sect. ... num. ... tenet, quod character pertinet ad tertiam speciem qualitatis, et similiter gratia, quia videlicet datur solum ad ornatum animæ, et designationem ejus in ministrum Christi.

LXXIII. Nihilominus sententia D. Thomæ duo dicit. Primum, quod character est qualitas ordinata ad aliquem actum, vel active, vel passive: secundum, quod ordinatur per modum potentiae, et non per modum habitus vel dispositionis. Primum probatur, nam actus sacramentales, et sacramentaliter facti, ad quos requiritur character, non supponunt illum tamquam conditionem. Etenim certum est, per characterem consignari hominem ad aliquos actus sacramentales pertinentes ad cultum divinum; et certum est aliquid posse hominem facere per characterem, quod sine illo non potest: vel ergo qualitas illa, quæ a Deo imprimitur animæ in ratione qualitatis sufficit ordinare hominem ad tales actus; vel præter physicam illam qualitatem requiritur deputatio extrinseca Dei, ut moraliter tales actus habeant valorem ab illo homine.

LXXIV. Si qualitas illa per se sufficit ordinare hominem ad actus

illos; ergo est qualitas ordinata ad actus ex natura sua, et seclusa impositione extrinseca, et deputatione morali: si autem præter qualitatem illam et physicum quod habet, est necessaria moralis deputatio; ergo talis qualitas superflua est ibi, nec est ratio cur ponatur in homine, si quidem æque bene deputaretur homo ad tales actus posita illa qualitate, aut non posita; nam etiamsi ponatur qualitas, nisi superveniat moralis deputatio, nihil valet, et si talis deputatio ponatur, etiam sine qualitate, sufficet ad validitatem sacramenti, quantum est ex natura rei; nam si homo cum illa qualitate indiget deputatione Dei extrinseca, ut ordinetur ad illos actus, certe illa qualitas nihil conducit ad tales actus; nam eodem modo homo sine illa qualitate, si deputaretur extrinsece a Deo ad tale ministerium, operaretur tales actus: ergo non ponitur illa qualitas nisi superflue, quia illa posita, ex sua natura nihil connexionis habet cum actibus sacramentalibus; et solummodo realis deputatio, et institutio ad actus facit hominem deputatum et ministrum. Unde formaliter loquendo, non deputatur homo per qualitatem et per aliquid physicum, sed ultra qualitatem indiget extrinseca deputatione. Unde illi characteri ex natura sua non est connaturalis concursus et ordo ad tales actus sacramentales, sed solum id habet ex deputatione extrinseca, quod eodem modo fieret, si hæc deputatio caderet immediate super hominem, et non super qualitatem illam.

LXXV. Igitur dicendum est, quod deputatio ipsa Christi designantis hominem ad aliquos actus, fit mediante qualitate; et sicut per deputationem extrinsecus et moraliter factam homo ordinatur ad actum aliquem, ut iudex ad iudicandum, etc. ita per deputationem physice

et mediante qualitate factam, ordinatur homo ad aliquos actus, quia videlicet ipsa qualitas est ratio sic ordinandi hominem. Dicere autem quod Deus imprimit homini qualitatem, et postea ipsum deputat moraliter ad actus sacramentales, est ponere sine fundamento talem qualitatem, cum ex deputatione et designatione ad actus colligamus imprimi in homine qualitatem; si autem deputatio fit moraliter supra illam qualitatem, cessat hoc fundamentum. Sicut ergo moraliter ordinantur deputantur ministri a republica, ita physice et per qualitatem deputantur ministri a Deo; et sicut per illam deputationem moralem moraliter homines ordinantur ad actum, ita per hanc deputationem physicam physice ordinantur ad actum.

LXXVI. Secundum vero, scilicet, quod ordinatio ista characteris ad actus sit per modum potentiae, et non habitus seu dispositionis, ostendi debet ex rationibus S. Thomæ. Et primo ex ratione, quam ponit in corpore articuli secundi, ex argumento Sed contra. Ut autem intelligamus rationem istam ex corpore articuli supponendum est ex doctrina sancti doctoris 1-2, quæst. XLIX, art. III, quod habitus primo et per se importat ordinem ad naturam, ex consequenti autem ad operationem; dispositio enim et habitus habent rationem convenientis et inconvenientis; et hæc ratio importatur ab illis primo et per se.

LXXVII. Qui autem natura et potentia sunt principium operationis et motus, natura quidem radicale et remotum principium, potentia autem proximum, ideo habitus convenienter se habens ad naturam et potentiam dicit consequenter ordinem ad operationem et actum. Et ideo ad videndum an aliquid sit habitus vel potentia, attendendum est,

an primo et per se dicat rationem principii operationis; an vero rationem convenientis; aut inconvenientis; et secundo ordinem ad operationem. Et ita Cajetanus in præfati articulo dixit, quod quia proprium et per se primo perfectivum ad recipere seu dare, est posse recipere aut dare, ideo character est spiritualis potentia, etc. Et in hoc fundatur ratio S. Thomæ.

LXXVIII. Facit ergo S. Thomas hoc argumentum: Per characterem deputatur homo tamquam per perfectivum divini cultus juxta auctoritatem Dionysii in secundo capite ecclesiasticæ hierarchiæ: « Perficiens eum divinum, et communicatorem divinorum; » divinus autem cultus consistit in recipiendo aliqua divina, aut tradendo aliis; et ad utrumque (scilicet ad tradendum et recipiendum) requiritur aliquid principium talium operationum, seu actuum, quod est potentia: ergo cum character detur tamquam principium istorum actuum (scilicet accipiendi et tradendi) oportet quod sit potentia quædam spiritualis ordinata ad ea quæ sunt cultus divini.

LXXIX. Quod autem character detur tamquam principium horum actuum probatur, quia non datur character, nec tamquam habens rationem convenientis ad naturam secundum se, nec tamquam habens rationem convenientis ad aliud, seu ad operationem: ergo nullo modo se habet ut dispositio, sed ut principium talium actuum. Consequentia patet, quia ut dicit philosophus in quinto metaphysicorum, textu xxv, lectione xx, apud S. Thomam: « Habitus dicitur dispositio, secundum quam bene, vel male disponitur dispositum, aut secundum se, aut ad aliud: » ergo quod non dispositum secundum convenientiam in ordine ad se, vel in ordine ad aliud, non

habet rationem dispositionis aut habitus, quia nec convenientis aut inconvenientis, si quidem nec habet convenientiam ad ipsam naturam, aut ad ipsam operationem.

LXXX. Antecedens autem probatur, nam character est qualitas designans et constituens aliquem ministrum, ut sacramentales actiones ex officio agat, aut valide recipiat. Ad ministerialiter autem operandum sacramentalem effectum, nullum est principium in anima operativum aut valide susceptivum; non ergo potest dicere convenientiam naturæ ad operationem, sed principium. Nec enim character in ipsa natura ponit aliquid boni aut mali, per quod videlicet natura ipsa in ratione naturæ convenienter aut inconvenienter se habeat, sicut sanitas aut pulchritudo, vel gratia in anima. Licet enim magna perfectio sit habere characterem Christi, tamen non est perfectio, quæ datur naturæ ut faciat ipsam convenienter aut inconvenienter se habere in se ipsa, sed ut faciat ministerialiter se habere in ordine ad aliquos actus.

LXXXI. Quod autem natura perficiatur ad aliquos actus, vel principaliter vel ministerialiter, non dicit dispositionem secundum convenientiam ipsius naturæ, sed secundum ordinem ad actus: igitur character cum perficiatur in ordine ad aliquos actus, non est dispositio secundum convenientiam ad naturam in se, sicut sanitas, aut pulchritudo. Quod vero non sit dispositio secundum convenientiam ad actus probatur, quia character non perficit potentias animæ, eo modo quo ipsæ naturæ sunt producere actus suos, sed longe diverso; nam potentiae sunt principia actuum suorum ut causæ principales, character autem non perficit potentiam animæ in modo et ratione causæ principalis, sed ministerialis, quæ a superiori princi-